Sr. Wohlgeboren

dem Herrn Professor Dr. Schneider

hochachtungsvoll.

Haa

die Verfasser.

Quaestionum
Tullianarum specimen

scripsit

Oswaldus Theodorus Keil.



Liegnitii 1839.

Quaestionum Tullianarum specimen

scripsit

Oswaldus Theodorus Keil.

Liegnitii 1839.

Quum mihi, aegrotante primum Bechero, deinde mortuo, hoc delatum munus esset, ut Ciceronis libros interpretarer discipulis nostris, in explicandis Tusculanis disputationibus ea maxime usus sum eorum librorum editione, quam nobis Klotzius paravit, cujus viri eximiam et judicandi subtilitatem et latine scribendi elegantiam praedicarem hoc loco, nisi tanta exstarent ejus et in Ciceronem et in omnem humanitatis doctrinam merita, ut mea ille laude non egeret. In illa igitur editione quum multa videbam esse et feliciter emendata et explicata dilucide, quibus egregie eorum librorum interpretatio adjuvaretur; tum vero etiam haud pauca occurrebant, quae aut bene ab aliis emendata, a Klotzio male defendi putarem, aut recte ab ipso scripta non satis commode apteque explicari. Itaque ea in legendo breviter notaveram, neque vero eo consilio, ut de iisdem libris ipse quid scriberem; sed quum solemni more scholarum hoc tempore scribendum esset aliquid, idque latine, rogante maxime collega eo, qui nunc academiae nostrae praeest, multis mecum mutuis officiis conjunctissimo; etsi et aliis negotiis tam multis tamque operosis distinebar, ut etiam recusanti mihi id munus desidiae crimen non esset magnopere extimescendum, quum id praesertim exigi a me non posset; et verebar praeterra, ne ea adferrem, quae aut levia viderentur esse per se, aut dudum essent dicta ab aliis, et multo quidem melius, quam a me dici possent, qui ad haec studia, retenta animo, sed remissa temporibus, satis longo temporis intervallo rediissem: tamen ne deesse officio viderer, faciendum statui, ut eorum nonnulla, quae tunc notassem, tractarem, si possem, accuratius, totque virorum doctorum sententiis meam quoque qualemcunque opinionem adjungerem. In quo egregie me adjuvit Richterus, collega amicissimus, qui Moserianae editionis eorum librorum e Becheri bibliotheca potestatem mihi fecit, in qua et quid libri manuscripti editionesque veteres praeberent, et quid ii sensissent, qui postea in his libris elaborassent, luculentius potui perspicere, atque nonnulla etiam vidi eorum, quae ipse annotaveram, scite ac docte esse a Mosero pertractata. Quae autem post eam editionem a viris doctis allata essent, inquirere per angustias temporis non licebat; quam ob rem si quae fortasse eorum, quae hoc libello proposui, aut melius erunt explicata, aut etiam reprehensa atque rejecta ab iis, qui de iisdem rebus his proximis annis disputaverint, hanc ab iis, qui haec lecturi sunt, veniam peto, ut ne aut eum me esse putent, qui non turpe ducam, ea in me-

dium tanquam mea proferre, quae sint ex aliorum libris decerpta, aut eum, qui si quando erraverim, quod scio quam facile fieri possit, refelli me et convinci non facile patiar. Nam quod summis viris video accidisse, ut in errores incurrerent, neque satis acute verum perspicerent, quidni idem putem atque etiam multo magis mihi posse accidere, qui illis nec ingenio, neque doctrina aequiparari possim? Esse enim quenquam, qui se vel unum, vel cum paucis expertem esse opinetur communis hominum conditionis, quodque in ceteros cadere videat, id neget in se quoque cadere, insipientis arrogantiae est. Eam autem existimo esse naturam ac conditionem humanae mentis, ut in plurimis rebus ac maximis partem quasi quandam cernamus veri, verum ipsum non cernamus; ob eamque causam neque concidendum esse animis arbitror, atque omnino de veritate desperandum, neque nimis confidendum, aut in eo unquam, quod assecuti simus, tanquam quo nihil possit fieri melius, acquiescendum. Video enim non modo in philosophia, sed in omnibus artibus ac disciplinis, quae non totae sint eruditionis et memoriae, sed in quibus aliquam partem sibi judicium vindicet et intelligendi sollertia, ita inter se discrepare doctissimorum hominum sententias, ut idem laudent alii, alii reprehendant, atque etiam ita fluctuare, ut ea etiam, quae a summis viris commendata diu omnium laude viguerint, postea rejiciantur ut falsa, contraque eorum, quae a plerisque improbata jacuerint, ut paene deserta viderentur, sint tamen aliquando, qui sibi patrocinium esse suscipiendum putent. Cujus rei exemplum luculentum praebent ipsi libri Tuscul. disput. Quanta enim codicum mss., tanta fere est interpretum dissensio; quumque ad eos libros summi viri, Lambinus, Bentleius, F. A. Wolfius operam suam studiumque contulissent, quae ab illis allata sunt, laudata atque recepta a multis, rejecit Klotzius; idem contra, quae diu explosa erant, revocanda sibi putavit. Quapropter errare videntur ii, qui nihil esse cogitare putant, nisi veritatem rei perspicere, nec quidquam esse, quin id cogitando, quale sit, intelligi possit, quum videlicet ipsa naturam suam et rerum omnium mens et ratio divina aperiat, in eaque explicanda ratione quadam progrediatur et via, quam qui noverit, non possit is a naturae veritate discedere. Nam etsi pro earum rerum varietate, de quibus cogitatur, variae sunt formae et quasi genera cogitandi, unum tamen commune est omnibus, qui de aliqua re cogitant, quod quale sit, ita optime mihi videor posse significare, si quaerendi tanquam generis cogitare quandam speciem esse dicam, et quemadmodum quaerendo reperitur aliquid, ita cogitando percipi id, quod verum sit: quod si teneamus, mirum videri non debet, quod, ut multa saepe quaeruntur, non reperiuntur tamen, ita cogitantes multi verum non percipiunt.

Neque enim satis erit, ut ipse tibi scire aliquid videare; si nemo erit, qui credat. Erit enim ita demum verum id, quod animo comprehenderis, si erit ipsum per sese, sic, ut esset etiam, si tu nihil de eo cogitares. Neque vero, in rebus iis, quae non totae sunt in te uno positae, quidquam habes, ex quo possis recte concludere esse id, quod tibi esse videatur, neque te vana quadam specie decipi veri; nisi quum et ipse quamvis diligenter rem excutiendo et identidem retractando deduci a sententia non queas, et idem videas videri aliis, qui de ea re judicare possint. Quare quum sciri nihil possit, nisi quod verum sit: efficitur profecto, ut

tantum quisque scire putandus sit, quantum possit aliis probare, quanquam ne illud quidem semper; quoniam fieri sane poterit, ut ii ipsi, quibus probaverit, in eodem errore versentur: cetera autem arbitrabitur ille quidem se scire, verum id pro certo et explorato habere, nisi nimium sibi arrogare volet, non poterit. Quare mihi semper ea, quae nunc a plerisque improbatur, placuit ratio Academicorum, qui se probabilia sequi dicerent, neque ultra id, quod veri simile occurreret, progredi posse; atque illud in primis probe tenendum censeo Ciceronis praeceptum, ut in omnibus rebus et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati simus.

Atque hoc quum in philosophia, tum vel maxime in hac critica arte valere debet, quae fere tota conjectura continetur; nam etsi licet interdum in codicum quorundam auctoritate, vel testimoniis veterum, tanquam certo quodam fundamento insistere; saepissime tamen ita fluctuant omnia, ut nusquam reperias, quod amplectare, quo te sustineas; sitque omnino ab illa codicum fide discedendum. In quo quanquam hoc cavendum est maxime, ne exspatiemur audacius et, quum librariorum peccata tollere velimus, ipsum corrigere scriptorem videamur; tamen vitiosa est etiam nimia quaedam religio, quum ita codicum scriptioni inhaereas, ut non dubites vel ineptam scriptori sententiam obtrudere, vel a certa et constanti grammatica ratione recedere; modo ne litera scripta immutanda sit. Quo in genere maxime mihi videtur Klotzius reprehendendus, qui etiam de industria nonnunquam videtur id egisse, ut quae essent ab omnibus rejecta, ea quoquo modo defenderet. Exempla postea plura afferam; nunc quidem duo liceat proponere ex his ipsis libris Tuscul. Disput., quibus vel maxime videtur id, quod dixi, confirmari posse. Nam quum lib. I. 33, 80 ita scriptum sit in plerisque libris „Quod si tanta vis est ad habitum mentis in iis, quae gignuntur in corpore; ea sunt autem, quaecunque sunt, quae similitudinem faciant: nihil necessitatis affert, cur nascatur animi similitudo:“ Lambinus statim vidit, id ita ferri non posse; scripsit igitur: „cur nascantur animi, similitudo; quae emendatio quum et facillima esset, et una optime rem expedire videretur, recepta est ab omnibus fere, quorum summa est in hoc genere auctoritas. Reliqui, etsi, virgula post „nascatur“ interposita, retinent illam plurimorum librorum scriptionem, sic tamen eam interpretantur, ut sit: cur nascatur animus. Unus Klotzius non solum eodem modo scripta verba tuetur, sed etiam ita explicat, ut ipsam esse similitudinem dicat, quam nasci hoc loco neget Cicero; quin etiam, si Lambinum sequaris, deesse aliquid conclusioni contendit, quod, quale sit, fateor me non intelligere. Jam vero quum sentiret, non id agere Ciceronem, ut similitudinem illam nasci negaret, sed ut ne ipse animus nasci videretur, una cum ea similitudine nasci animum dixit, itaque, altero sublato, tolli alterum. Illud non vidit, similitudinem hominum sine ulla dubitatione nasci una cum corpore, neque id obscure a Cicerone significari, sed aperte declarari, quum eam effici dicat iis, quae in corpore gignantur; ergo hoc a Cicerone dici: quanquam nascantur similitudines, nihil tamen esse, cur idcirco nasci putentur animi. Quod si vidisset, aut videre voluisset vir doctissimus, nihil dixisset.

Alter autem locus est Tusc. disp. V. 31, 87. „Sequetur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita virtutem, cumque ea descendet in taurum, Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone auctoribus, nec eam minimis blandimentis corrupta deseret.“

Primus Bentlejus vidit inepte scribi: „minimis;“ de conjectura reposuit: „minis aut;“ et est in egregio codice Gud. I. „minis,“ in alio (Rehd) ā pro „aut“ ante „blandimentis.“ Egregiam Bentleji conjecturam duxerunt omnes, Klotzius etiam ineptam esse censet, negat minis esse locum post supplicia taurumque Phalaridis, sola blandimenta requiri, nihil esse vulgata scriptura certius; neque enim ita construenda verba, ut negandi particula ad solum verbum referatur, esse eam etiam ad „minimis“ referendam, eo autem vocabulo idem significari, ac si „ullis“ Cicero scripsisset, in quo nemo certe esset offensurus.

Jam haec videamus qualia sint. Primum igitur, si id sibi Cicero, quod Klotzius vult, faciendum putaret, ut non, quae ante ornatis verbis et fusius elocutus esset, ea jam simplicius breviusque, additis praeterea blandimentis, concluderet, sed novum aliquid inferret, et suppliciis blandimenta opponeret, vereor ne ita scripsisset: „neque vero eam ullis blandimentis corrupta deseret;“ neque enim ita solet opposita adjungere, ut eadem esse videantur. Deinde, si maxime id vellet, non poterat scribere: „minimis.“ Quis est enim tam rudis in scribendo, tam ab omni arte derelictus, ut, quum „ullis blandimentis“ scribere velit, „minimis“ scribat! Nam, quae a Klotzio quasi versio eorum verborum additur: „und nicht wegen der geringsten Lockungen zu Annehmlichkeiten wird sie dieselbe zum Treubruche verleitet verlassen;“ in ea non elegantiam modo, verum etiam rectam rationem desideres. Quis enim sanae mentis esse eum putet, qui se neget vel minima spe commodorum adduci posse, ut a justitia, aequitate, fide desciscat? Quasi vero quisquam sit, qui id vel suspicari possit! aut nihil intersit, utrum „minimis“ dicas, an „minime.“ Quod autem ille minima quaeque blandimenta aptissima vult esse ad corrumpendum, quoniam ita quisque facillime corrumpi blanditiis possit, si ne sentiat quidem ea sibi admoveri, videretur id fortasse esse aliquid, si de virtute diceretur, quae turpe sibi duceret, corrumpi blanditiis, non de beata vita, quam certe probabile est, ut suppliciis, ita blandimentis, non minimis, sed maximis a virtute avelli maxime. Denique quod jubemur ita verba construere, ut negationem quum ad „deseret“ tum ad „minimis“ trahamus, id quale esset, non intelligerem, nisi, ipse Klotzius quid fecisset, viderem. Nam, quum II. 5, 14 haec leguntur: „quae (turpia) ut effugias, quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor!“ quae ita plana sunt, ut explicatione profecto non egeant, occasionem sibi oblatam ille putat, de aliis quibusdam locis disserendi. Velut, quod est in Catil. orat. I. cap. 3. §. 8. „Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam“ id ita vertit „Du denkst nichts, was ich nicht hörte nur, sondern auch sähe und ganz deutlich merkte;“ reprehendit Madvigium, qui „quin ego“ scribendum censet, quod si ita immutaveris: „quin id ego,“ vereor ne admodum probabile videri debeat; neque enim quidquam praeterea, nisi „quod non ego“ ferri poterit, quod nescio an praeferam, quoniam quae statim iteraretur negatio, facillime omitti primo loco potuit. Idem Philipp orat. III. Cap. 13. §. 33. „Nullum tempus — dimittam, — quin de libertate populi Romani, de dignitate vestra, quod cogitandum sit, cogitem, quod agendum atque faciendum, id non modo recusem, sed etiam appetam atque deposcam“ ubi, quod est in codd.; „non modo non recusem“ erat sine

ulla dubitatione recipiendum, haec intelligi vult „das will ich nicht zurückweisen allein, sondern auch erstreben und fordern.“ Denique de divin. lib. I. cap. 55. §. 124. haec sunt: „mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est, non modo plura, sed etiam pauciora divine praesensa et praedicta reperiri.“ Quae verba nihil profecto habent, in quo quis recte possit offendere, modo ita explices: „mihi satis est, non modo ut plura, quam sunt, sed etiam, ut pauciora — „reperiantur.“ Hic vero ita: „mir reicht es aber zum Beweise von dem, wovon ich spreche, hin, daß nicht mehrere allein, sondern auch wenigere Dinge u. s. w.“ Omitto cetera, velut illud: „warum sie nicht zu tadeln allein, sondern auch zu loben;“ satis, ut opinor, apparebit, haec omnia, quibus ipse Klotzius id, quod praecepit, quem ad modum esset efficiendum, demonstravit, nihil habere nisi pravam quandam et perversam structuram verborum, qua quis tandem effici putet, ut, quae sint inepta per se, ea sana esse videantur? Proinde praeceptum illud viri doctissimi tamdiu pro nihilo ducamus licebit, donec ipse non esse absurda ea, quae ex eo consequantur, probaverit.

Sed jam satis erit ad id, quod dixi, probandum, non modo plura, sed etiam pauciora male a Klotzio defensa aut explicata reperiri. Itaque placet jam ad ea transire, quae mihi tractanda proposueram. Neque enim id eram acturus, ut nihil nisi contra Klotzium disputarem, sed ut de locis nonnullis, ipse quid sentirem, exponerem; verum id fieri, nisi refellendis eorum sententiis, a quibus dissentirem, non potuit. Ac primum quidem locos aliquot proponam, qui nec dubiam scripturam habent, neque explicatum difficilem, sed mihi non recte videntur vel a Klotzio, vel ab aliis explicati; quibus deinde adjungam alios, quorum est aut explicatio difficilior, aut etiam incerta scriptio. Probabilia me sequi video, nec eram nescius, quum haec scribebam, fore, ut in multorum reprehensiones incurrerem; attamen magna me spes tenet, eorum, quae dixero, fore etiam nonnulla, quae non plane improbanda videantur iis, qui de his rebus judicare possunt; quod si assecutus ero, operae pretium mihi fecisse videbor. Ceterum etsi pauca me scire minime ignoro, tamen, quum ipse Klotzius ea, quae sentit, ita eloqui soleat, quasi unus rem perspiciat, nec quidquam sibi timendum sit magis, quam ne aliquid nescire videatur, licebit mihi certe contra ea disserenti ea uti oratione, quasi qui me nolim videri nihil scire.

Tusc. Disp. I, 2. „Igitur et Epaminondas, princeps, meo judicio, Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur, Themistoclesque aliquot ante annis, quum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior.“ Retinuit Klotzius id, quod est in libris optimis multisque edd. „recusaret,“ quum id Ernestus et F. A. Wolfius negassent latine dici posse. Recte ille quidem, atque idem probant Kuehner et Moser; sed quum causam hanc attulerunt, quod eodem tempore Themistocles, quo recusaret lyram, habitus esset indoctior, locum facillimum male explicarunt. Certe enim si semel id fecisset Themistocles, ut recusaret lyram, non „recusaret“ Cicero scripsisset sed „recusasset.“ Sed quod imperfecto usus est, nihil aliud indicavit, nisi solitum esse Themistoclem in epulis recusare lyram.

I. 12, 26. „Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis, obtineri, uti optimis pos-

sumus, quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum: et primum quidem tota antiquitate, quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat."

Hic quum F. A. Wolfius adjectivum „divina" etiam ad ortum transferendum esse dixisset, eique assensus esset Orellius, negavit Klotzius id recte dici; in quo certe non videtur reprehendendus esse; sed quod ita hunc locum vertit „von ihrem Ursprunge und (somit) von der göttlichen Abkunft war die *alte Zeit* weniger entfernt, und konnte deshalb heller sehen," non meminerat progeniem omnino non de origine dici, sed de iis, qui nati sunt, itaque ortum illum quidem esse generis humani, divina autem progenie eos significari, qui ab ipsis diis nati essent. Atque simile quiddam accidisse videtur viro doctissimo in eo loco, quem tractavit in quaest. Tull. p. 15, qui est lib. de orat. I. 46, 202,: „Non enim caussidicum, nescio quem, neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone conquirimus, sed eum virum, qui primum sit ejus artis antistes, cujus quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, *tamen Deus esse putatur*, ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur; deinde, qui possit non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari. „Quo loco, quae de relativi constructione dixit, vera sunt, nec tamen admodum ignota; sed quod ita sententiam explicat: tamen (ea ars) esse deus putatur, id satis admirari non possum. Quasi vero obscurum sit, ejus artis deum hoc loco dici Mercurium, cujus est etiam is, qui paullo post commemoratur, caduceus. Ceterum sine ulla dubitatione scribendum est „putabatur," atque, ut mihi quidem videtur „ut id ipsum."

V, 13, 39. „Hic si est excultus, et si ejus acies ita curata est, ut ne *coecaretur* erroribus, fit perfecta mens etc."

Recte quidem Klotzius cum aliis multis imperfectum illud „coecaretur", a Bentlejo, Manucio, Lambino improbatum, retinuit; sed quod cuivis discipulo notum esse debere dicit, id ipse non satis videtur perspectum habuisse. Ait enim propterea falsum esse praesens, „quod verbis „ut ne" nihil nisi consilium indicetur: quod concederem, nisi scriptum esset „ita curata est;" ex quo intelligi debet, non de consilio, sed de effectu agi; in quo scio equidem notam aliquam inesse consilii, neque tamen idem est effectus atque consilium. Quod autem „ut ne" Cicero scripsit, id idem est, ac si scripsisset: si ita acies ejus curata est, ut cautum sit, ne etc. Jam ea, quae sequuntur, non minus recte ad id, quod praesens esset, tempus, a Cicerone referri poterant, quam ad illud, quo illa adhibita curatio esset, quandoquidem inest in perfecto etiam praesentis temporis quaedam significatio. Quare, quod est in optimis libris „coecaretur," non erat a Bentlejo exterminandum, neque vero, si iidem libri „coecetur" haberent, non esset id quoque retinendum. Alterum est: „wenn die Kraft des Geistes so gepflegt worden ist, daß er nicht verblendet wurde" alterum „daß er nicht mehr verblendet wird." Qua quidem hujus loci explicatione si quid melius habet vir doctissimus, candidus impertiat; discipuli autem monendi videntur, ne quid temere soloecum esse dicant, quod ipsi, quale sit, non satis intelligant.

I, 22, 51. „Nisi enim, quod nunquam vidimus, id, quale sit, intelligere non possumus, certe et deum ipsum et divinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti possumus.“

Locum non admodum difficilem unus praeter F. A. Wolfium Billerbeckius recte vertit; nam Wolfius quidem nihil nisi initium; ceteri, qui ita hunc locum interpretati sunt: „Es sei denn daß — gewiß aber,“ non viderunt, „nisi enim,“ non esse idem, quod „nisi forte“ vel „nisi vero,“ sed apodosin aliquam requirere, atque etiam Ciceronem, si cum Kernio, Knehnero, Mosero sentiret, „at certe“ scripturum fuisse. Est enim haec sententia: Si quidquam est, quod quum nunquam viderimus, tamen, quale sit, possimus intelligere, certe etc. Ceterum divinus animus hoc loco sine dubio hominis est; neque vero non male Klotzius I, 28, 70, ubi haec leguntur: „Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut deum non vides, tamen, ut deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis vim *divinam* mentis agnoscito,“ *„divinae“* scribendum esse putavit, quum se negaret, quare acc. in gen. mutari potuisset, intelligere; quod equidem non video, cur fieri non potuerit. Habent certe accusativum codd. plurimi, neque genitivus videtur ferri posse. Nam quum ita Cicero scripturus esset: Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, tamen divinam esse agnoscito; interposita deinde dei comparatione abductus a legitima verborum structura, eandem sententiam ita expressit, ut vim divinam mentis agnoscere auditorem juberet. Quodsi vim divinae mentis dixisset, alterum esset e duobus. Aut enim ad deum ea referri, non ad hominem viderentur, aut sumi id tanquam concessum, quod tum maxime erat probandum. Quorum quum utrumque ferri non possit, erit sane accusativus retinendus.

IV, 17, 39. „Modum tu adhibes vitio? An vitium nullum est non parere rationi? an ratio parum praecipit, nec bonum illud esse, quod aut cupias ardenter, aut adeptus efferas te insolenter! nec porro malum, quo aut oppressus jaceas, aut, *ne opprimare,* mente vix constes?“

Klotzius: „Auch zugegeben, daß du nicht unterdrückt wirst.“ Laudat etiam, ut solet, quae alio loco ipse de eo usu particulaa „ne“ attulerit. At profecto non erat, quod ista laudaret. Neque enim erit quisquam, qui non videat, quod ita Cicero dixit: „mente vix constes,“ id nihil esse nisi „pertimescas,“ et quemadmodum ante cupiditatem et laetitiam, ita nunc inverso ordine aegritudinem et metum significari?

V. 31, 87. Reliqui se habere videntur angustius, enatant tamen: Epicurus, Hieronymus, et si qui sunt, qui desertum illum Carneadem curent defendere. Nemo est enim eorum, quin „(male Klotzius quin eorum)“ bonorum animum putet esse judicem, eumque condocefaciat, ut ea, quae bona malave videantur, possit contemnere. *Nam quod tibi Epicurus videtur,* eadem erit Hieronymi et Carneadis causa et hercule omnium reliquorum.“

Recte Klotzius, ut mihi videtur, retinuit hanc codd. optimorum scripturam, in qua quum offenderent viri docti praeter Davisium fere omnes, ita scribendum putarunt, ut est in edd. veteribus: „Nam quae tibi Epicuri videtur.“ Verum recte scripta ille male interpretatur. Sic enim: „denn was deine Ansicht von Epikur ist.“ Comparat illa: „quid tibi Epicurus videtur!

quid dicam Epicurum?“ Quasi vero quisquam sit, qui ita dicat: „hoc mihi videtur Epicurus.“ Ille vero etiam: „nos omnes id (surdi) sumus. Credat Judaeus Apella! Mihi quidem nihil esse „quod“ nisi conjunctio videtur, quae quum innumerabilibus locis eodem modo poni soleat, non erit hoc loco pluribus verbis explicanda.

Tusc. I. 3, 6. „Quare si aliquid oratoriae laudi(s) nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontes aperiemus, e quibus illa manabant.“

Mirum est, quantopere in una litera viri docti dissentiant. Genitivum codd. plerique tuentur, dativum et codd. aliquot, et editiones fere omnes. Klotzius durum esse dativum ait, ac vix intelligi posse, contra nihil genitivo planius, nihil ad sententiam aptius.

Handius ita: „Affertur aliquid *laudis*, ubi nulla erat antea laus, sed affertur aliquid *laudi*, quando ea unius alicujus opera augetur.“ In quo si verum vidit, et videtur sane vidisse, non debebat illa adjungere: „Attulit igitur *laudis* aliquid i. e. aliquantum in oratoria arte laudis, quae parva aut nulla erat, non *laudi*, quae antea jam constaret. Hoc quamvis modestius dictum videatur, illud tamen Ciceroni magis convenit.“ Nam quum ipse Cicero paullo ante dixisset, oratores ita magnos suam ad aetatem fuisse, ut non multum, aut nihil omnino Graecis cederetur; quî tandem aliquid se attulisse oratoriae laudis dicere potuit, ut quae antea nulla fuisset? Praeterea et requiritur dativus personae, quamvis neget Klotzius, et opponitur oratoria laus philosophiae. Itaque quod suo quidem more ita dicere Cicero poterat: „si aliquid ad oratoriam laudem nostra attulimus industria“ id maluit hoc loco dativo exprimere. Ceterum quod ita Handius: et verbi „afferre“ absolutus usus erat, cur librarii „laudis“ in „laudi“ mutarent; non video equidem, cur non ceteri potius praecedenti vocula „aliquid“ putentur, ut genitivum praeferrent, inducti esse. Atque illud ipsum „ali“ dativo suffragatur.

I. 12, 27. „Idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio jure et e cerimoniis sepulcrorum intelligi licet; quas maximis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandem migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse, *in ceteris* humi *retineretur*, et *permaneret* tamen.“

Negari non potest, si vera haec lectio sit, quae est sane plurimorum librorum, non commutationem vitae, sed ipsam vitam ducem dici in coelum esse, eandemque in ceteris humi retineri, recteque esse a Klotzio hunc locum explicatum; neque vero adduci possum, ut ita scripsisse Ciceronem credam. Nam, quod Klotzius affert, commutationem vitae viam illam quidem vel iter ad coelum, neque vero ducem dici posse, vitam vero hominum rectissime ducem in coelum appellari; id etsi primo adspectu habeat, quo commendetur, tamen si accuratius inspexeris, nihil esse videas. Quis enim, si ita scriptum esset: „qua in coelum clari viri et feminae ducerentur,“ vita nec potius morte duci illos putaret? Quid autem aliud nisi hoc ipsum Ciceronis verbis significari dicamus? Quare, quod nemini haec legenti non in mentem venire debet, ut ad mortem, non ad vitam ea referat, quae relativo pronomine adjungantur, idem censeo

scribenti Ciceroni in animo fuisse, ideoque scripsisse Ciceronem: „ceteri humi retinerentur, et permanerent tamen," quod etsi videtur a legitima verborum structura abhorrere, non abhorret tamen a Ciceronis scribendi consuetudine, praesertim in his libris, in quibus non ingratam quandam negligentiam saepius apparere confitentur omnes. Simile est: I, 10, 21. „vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse: quippe quae nulla sit, nec sit quidquam, nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat." V, 13, 38. „Et ut bestiis aliud alii praecipui a natura datum est, quod suum quaeque retinet nec discedit ab eo." Atque eo ipso, quod a vulgari lege haec recedebant, factum est, ut corrumperentur.

I, 13, 29. Sed qui nondum ea, quae multis post annis *tractari coepissent*, physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admonente cognoverant" etc.

Recepit Klotzius id, quod est in quibusdam bonis libris: *tractare* pro *tractari*, quod sane habet, quo quasi flagitari videatur, constantem fere apud bonos scriptores sermonis usum, quo non „fieri coepit aliquid" sed „fieri coeptum est" dicitur; sed quod negat ipsam sententiam, quo minus ita scribatur, repugnare, quum ad universum hominum genus ea, quae dicantur, referenda sint, possintque haec satis commode ita nostro sermone reddi: „Weil man damals die Dinge, welche man erst viele Jahre nachher zu behandeln anfing, aus der Physik noch nicht gelernt hatte:" id male mihi videtur facere. Primum enim licet nostro sermone ita haec dici possint, ut nihil sit, in quo offendas, latine tamen non possunt; neque illud „qui" ad omnes homines pertinet, sed ad eos tantum, qui tunc erant, qui physica tractare nunquam coeperunt; deinde vero etiam temporum ratio videtur obstare, quo minus „coepissent" a Cicerone scriptum putemus; quod recte se haberet, si ita scriptum esset: quae nondum tractare coepissent." Illa vere nimia mihi videtur esse migratio legis, quam non usus quidam loquendi, sed ipsa ratio ac natura praescripsit, si quid dicas multis annis, non ante, sed post, non esse factum, sed fuisse. Itaque legendum esse arbitror: *„quae multis post annis tractari coepta sunt."*

I, 6, 30. „Sed ut deos esse natura opinamur, *qualesque* sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium; qua in sede maneant qualesque sint, ratione discendum est."

Etsi in priori hoc „qualesque" consentire video libros, tamen delendum esse arbitror illud „que," quod quomodo irrepserit, facile intelligitur, quum idem postea recurrat, ubi ed. Asc. 2. „quales" habet. Notum est enim nec jam exemplis confirmari debet, non solere jungendi particulis in hujusmodi partitionibus uti eos, qui bene latine scribant.

I. 21, 48. „E quo intelligi potest, quam acuti natura sint, qui haec sine doctrina credituri fuerint."

Klotzius et Moserus, Davisium secuti reposuerunt „quoniam — fuerunt" quod in antiquissimis quibusdam libris legitur. Qui si, utrum ex altero natum esse videretur, quaerere voluissent, vereor, ne id, quod fecerunt, non putassent esse faciendum. Equidem profecto neminem fore arbitror, qui si „quoniam" legerit, eam conjunctionem pronomine relativo illustrandam pu-

tet; at contra pronomen illud, ubi causae significationem habet, conjunctionibus causalibus explicari videmus quotidie.

I. 22, 52. „Hunc (animum) igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi praeceptum, tributum ut deo sit, (hoc est) se ipsum (posse) cognoscere."

Sic Moserus hunc locum scripsit, varie vexatum ab interpretibus. Nam Ern. Wolf. Orell. Kuehner.: „sic ut tributum deo sit," extrema autem verba, „hoc . . . . cogn." ut glossema ejecerunt, idemque Manucius et Lambinus suaserant. Sensit tamen Orellius mutilam videri abjectis illis conclusionem verborum, ac praeterea exstant ea verba in libris paene omnibus. Klotzius ita: „sic ut tributum a deo sit hoc se ipsum posse cognoscere," quod est in cod. Reg. b. et in ed. H. In quo primum illud negari non potest, praepositionem „a" esse optimorum codd. fere omnium; deinde si eam ejeceris, non videri extrema illa cum antecedentibus recte conjungi posse, id quod vidit etiam Moserus. Vix enim, si dicas tributum deo esse hoc se ipsum posse cognoscere, aliud quidquam intelligas, nisi illud: tributum esse deo, ut se ipse deus cognosceret, quod ferri non potest; accedit etiam, quod illorum virorum sententiam si amplexus sis, non tributum „sit," sed „esset" videatur exspectari debere; quod vero sententiam Klotzius verbis illis, quae ipse habet, commodissimam effici putat, in eo certe fallitur. Est enim nihil aliud id, quod vult, nisi hoc: animum nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi praeceptum, sic ut divinum illud sit" quo quid potest esse ineptius? At qualis esse sententia debeat, duobus locis facile intelligitur, quorum est alter Fin. V. 16, 44. „Quod praeceptum quia majus erat, quam ut ab homine videretur (inveniri posse) idcirco assignatum est deo," qui locus etsi corruptus est — desunt enim ea, quae uncis inclusi — satis tamen declarat id, quod volumus. Alter est Leg. I. 22, 58. „Haec enim una (sapientia) nos quum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cujus praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam sed Delphico deo tribueretur." Notum est enim, quod multos facere videmus, ut eandem sententiam compluribus locis repetant, idem Ciceronem solitum esse facere. Jam vero, quum codd. optimi haec habeant: Reg. Gud. 1. 2. Mon. 2. Bern. „praeceptum tributum a deo sit hoc se ipsum p. cog." Rehd. „non acrioris esset cujusdam animi praeceptum tributum a deo sit hoc se ipsum p. agn. Gud. „tributum a deo scilicet hoc se ipsum posse cogn." Duisb. „praeceptum tributum a deo sit hoc ipsum se p. cogn. Aug. „praec. trib. a deo sit hoc et se ipsum p. agn.;" mihi quidem hujus loci non ita videtur difficilis esse sanatio. Videtur enim eam ob causam praepositio a librariis inserta esse, quod, „tributum deo" quid esset, non satis intelligerent, nec praeceptum aliquod tribui posse ab hominibus deo putarent, „sit" autem ex compendiaria scriptura vocis „scilicet" ortum esse crediderim. Quocirca ita scribendum esse arbitror: *Hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi praeceptum tributum deo; scilicet hoc est se ipsum posse agnoscere."* Sic et haec „non esset hoc acrioris cujusdem animi praeceptum" quae, ut erant, sola per se posita, semper displicebant, ad aptam et bonam sententiam cum insequentibus comprehenduntur, neque illud alienum erat a Ciceronis more, ut, quae antea pluribus verbis expo-

fuisset, ea nunc paucis repeteret. „Agnoscere“ autem, quum sit in codd., praeferendum puto illi, quod vulgo legitur, „cognoscere,“ quia aptius mihi videtur dici de animo. Quod si quis ea, quae vulgo post „praeceptum“ leguntur, „sic ut,“ retinenda putet, ei scribendum fuerit, „sicut est.“

I. 24, 57. 58. „Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit, nisi recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita: docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere, nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animo notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. *Quumque nihil esset*, ut omnibus locis a Platone disseritur: — nihil enim putat esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper *tale sit*, *quale* ἰδέαν appellat ille, nos speciem — non potuit animus haec in corpore inclusus agnoscere; cognita attulit etc.“

Verba illa: „quumque nihil esset“ varie sunt ab interpretibus explicata, neque tamen ita, ut, quid voluerit Cicero, recte videatur intelligi. Nam et sintne ea per se intelligenda, an cum iis, quae sequuntur, jungenda, ambigitur, et, si jungenda, quid ex insequentibus adsiscendum sit, dubitatur. Jam Billerbeckii sine dubio rejicienda ratio, qui ita verba illa interpretatur: Quumque τὸ nihil (οὐδὲν) existeret i. e. quumque, quod in rerum externarum natura esset, nihil esset. Neque vero Klotzius non lapsus est, cujus haec sunt: „offenbar sagt aber Cicero das: Und da nichts war, d. h. Und da nichts wirklich existirte (die Parenthese erklärt nun nur das Wort esset, was Platon so genommen habe, daß nichts wirklich sey, was einen Anfang und ein Ende habe u. s. w.) so habe der menschliche Geist eingeschlossen in dem Körper dies nicht anerkennen können ꝛc.“ In quo primum illud reprehendendum, quod scripsit: „und da nichts war, so habe ꝛc. Nam aut ita dicendum erat: „und da nichts sei“, vel si ita vellet „und da nichts gewesen sei“ aut ita pergendum: „so konnte ꝛc.“ Ac fuit quidem, quum „esset“ a Cicerone propterea scriptum putarem, quod non ita esset sententiam, ut fecit, conclusurus, sed ex Socratis mente omnia dicturus; interpositis autem deinde iis, quibus, quid *esse* a Platone diceretur, explicaret, ab illo consilio abductum, reliqua sic adjunxisse, ut sua. Omnia autem reputanti mihi probabilius visum est, Ciceronem statim ab initio haec non ex aliena mente, sed ex sua, locutum esse. Deinde etiam pejus est illud, quod explicandi causa addidit Klotzius: „d. h. da nichts wirklich existirte.“ Neque enim exstare Plato negabat ea, quae sub sensus caderent, sed ea esse non concedebat. Denique, quod dixit: „so habe der menschliche Geist dies nicht anerkennen können“ id quale sit, nisi latina videas, vix intelligas. Nam quod „anerkennen“ dixit, quod „agnoscere“ Cicero, id nihil est, quum non id agatur, ut concedatur aliquid verum esse, sed ut omnino, quale sit, intelligatur. Est enim „agnoscere“ nihil hoc loco, nisi „erkennen“ qua quidem significatione non semel hoc verbum ab ipso Cicerone usurpari, nemo est, qui melius sciat, quam ipse Klotzius. Jam vero Ern. Dav. Hotting. Orell, ita verba illa cum insequentibus jungenda putant, ut sit:

„Quumque nihil esset, quod oriretur et interiret," F. A. Wolfius „quumque nihil esset (scil. eorum, quae in parenthesi sequuntur). Qui omnes mihi non videntur satis perpendisse eum locum Platonis, (Phaedo cap. 19. seqq. ed. Stallb.) quem haud dubie voluit Cicero exprimere, sed nimio quodam abreptus, ut saepe, ostentandae doctrinae studio, non satis luculenter expressit. Qui locus si recte a me intelligitur, haec habet: Tenet profecto animus notiones earum rerum, quae vere sunt, (*τῶν ὄντως ὄντων*) velut boni, pulchri, aequi etc. Neque vero eas notiones, dum in hac vita fuit, potuit sibi comparare; nibil enim in hac vita potest cognoscere, nisi ex iis, quae sensibus perceperit; quaecunque autem percipiuntur sensibus, ea ad notionum illarum perfectionem ac stabilitatem adspirare illa quidem videntur, pervenire non possunt, quippe quae nec semper, nec omnibus partibus talia sint, qualia videantur esse. Sic, ut bonum esse aliquid intelligamus, ipsum bonum quid sit, jam ante comprehensum animo teneamus oportet; quae enim appellamus bona, ea volunt quidem (*βούλονται*) esse bona, sed id, quod volunt, non assequuntur. Quocirca animus, quum ea, quae sunt, in corpore inclusus agnoscere non potuerit, cognita ea attulisse putandus est, et reminiscendo tantum recognoscere. Quodsi recte haec a me explicata sunt, verba illa Ciceronis quemadmodum intelligi debeant, dubitari vix poterit. Sunt ea certe per se intelligenda, et quae sequuntur, ea ita adjuncta sunt, ut non rei, sed causae declarationem habeant; neque tamen a Klotzio intellecta sunt. Erat enim ita Cicero scripturus: Quumque nihil eorum, quae percipit in vita animus, tale sit, quale et vult et videtur esse, non potuit ille haec, quae notionibus illis comprehensa tenet, in corpore inclusus agnoscere. Sed quum illud in mentum veniret, quae non essent talia, qualia viderentur esse, ea aliis locis a Platone ne esse quidem dici; ne id ignorare videretur, nihil scripsit, nisi haec: „quumque nihil esset," idque cur ita diceret, pluribus verbis explicavit. Quocirca ita haec vertenda esse puto: „Und da nichts, was die Seele im Leben vorfand, wahrhaft war: — so konnte sie das, was sie weiß, nicht während ihrer Eingeschlossenheit im Körper erkennen.

Restat, ut pauca dicam de verbis illis, quae sequuntur: „idque solum esse, quod semper tale sit, quale *ἰδέαν* appellat ille" in quibus equidem animum inducere non possum, ut, quae ita se excipiant, ut hoc loco *„tale, quale,* ea non putem ad se invicem referenda esse. Neque vero, si ita ea accipias, non inepte haec dici putes: „quod *semper* tale sit, quale *ἰδέαν* appellat." Cur enim semper? quod enim tale sit, quale id, quod *ἰδέαν* appellat, id numquam non esse tale, quis est, qui non videat, quis, qui id addi posse sine ineptia existimet? Cicero autem quid scripserit, licet videre ex eo loco, qui est Acadd I. 8, 30. „mentem volebant rerum esse judicem, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex et unius modi, et tale, quale esset. Hanc illi *ἰδέαν* appellabant etc. „Scripsit enim hoc nostro loco *„quod semper sit tale, quale sit, quam ἰδέαν appellat ille"*. Sic non modo „quale" quod est in optimis codd., sed etiam „quam" quod in vulgatis legitur, suum locum obtinet.

Ibid. I. 28, 92. Quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, quum sexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne sues quidem id velint, non modo ipse."

Corruptum locum esse primus sensit Lambinus; multi postea; defenderunt alii; nemo autem

in eo offendit, in quo uno offendere debebant omnes. Delevit enim Lambinus illa, quae in codd. leguntur omnibus: „non modo ipse;“ nimirum hoc vidit, non posse „ipsum“ opponi „suibus.“ At „suis“ opponi certe poterit. Itaque legendum „ne *sui* quidem id velint“, quod a nemine, quod sciam, animadversum esse, satis mirari non possum. Quid enim sues habent, quare comparentur cum eo, qui se dormire malit, quam mortuum esse? Sui vero quemque vivere volunt quam diutissime, itaque etiamsi dormiat, modo vivat, videantur id aequius ferre posse, quam si omnino mortuus sit; id igitur negat eos Cicero velle, si nulla spes sit, fore, ut ex eo somno aliquando is, qui obdormiverit, reviviscat.

I. 36, 88. — „illud excutiendum est, ut sciatur, quid sit carere, ne relinquatur aliquid erroris in verbo. Carere igitur hoc significat: egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in carendo: nisi quum sic, tanquam in febri, dicitur, alia quadam notione verbi: dicitur enim alio modo etiam carere, quum aliquid non habeas, et non habere te sentias, etiamsi id facile patiare. *Carere in malo non dicitur; nec enim esset dolendum: dicitur illud, bono carere, quod est malum.* Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget etc.“

Sanum non esse locum negari vix poterit. Et talem quidem, qualem scripsi, e cod. Bern. praebent edd. recentiores fere omnes; antiquiores aut: carere enim in malo non dicitur, aut: „carere enim malo id non dicitur.“

Repugnant autem haec non iis modo, quae proxime antecedunt, verum etiam aliis locis multis, quibus ipse Cicero culpa, supplicio, dolore, crimine, malo, febri, perturbatione animi carere dixit; neque sic, ut nunc factum est, adjungi ad superiora poterant. Explicandi particulam (enim) a librariis additam esse, quippe qui deesse aliquid viderent, non immerito viri docti videntur suspicati esse, nec male Lambinus „autem“ pro „enim“ voluit. Kern ita: Carere im eigentlichen Sinne (im deutschen Vermissen) sagt man vom Uebel nicht; denn es wäre dabei nichts von einem Schmerzgefühle: das sagt man: ein Gut vermissen — und dies ist ein Uebel“. Quod laudarem, si carere, sic nude positum, eo modo verti posset. Ac fuit, quum unius voculae transpositione sanari locum posse putarem, si ita scriberetur: Carere illud in malo non dicitur; neque enim esset dolendum; dicitur bono carere etc. — Quae conjectura haberet fortasse, quo commendari videretur, praesertim quum ne haec quidem admodum placeant, quae vulgo leguntur: „dicitur illud: bono carere“ nisi aliud quiddam occurreret, quo ab illa opinione statim rejiceremur. Habent enim codd. fere omnes non: „in malo“ sed „in morte“ quod summus vir R. Bentlejus negavit se intelligere, recepit Davis., Orell explicare quidem conatus est, nec tamen probari sibi ait; unus Klotzius, planissime rem perspiciens, ita interpretatur: Von einem Todten, oder im Tode kann man nicht carere (entbehren) sagen, (imo sagt man nicht) weil dies als kein Uebel erscheint, (imo: erscheinen würde) da man es nicht fühlt (quod de suo addidit v. d.); man sagt aber des Guten entbehren, was ein fühlbares Uebel ist.

Quasi vero idem sit, utrum „dicitur“ dicas, an „dici potest“ aut non id omnino Cicero agat, ut, quod dici videat, id recte dici neget. Quodsi ita versandum in interpretandis veterum scriptis censeamus, nihil videlicet erit, quod non videamur facile expedire posse.

Equidem, si cum editionibus codices conjungantur, paucis immutatis sanari posse hunc locum arbitror, si ita scribas:

„*Jam carere malo in morte non dicitur; nec enim esset id dolendum: dicitur illa bono carere, quod est malum.*“

Superest, ut haec defendam. Ac primum quidem sententia, quae his verbis efficitur, et perspicua esse, et apta videri debet. Nam quum duplicem Cicero carendi esse notionem docuisset, alteram egendi eo, quod habere velis, alteram non habendi, quum sentias te non habere, etiam si id facile patiare: ut alterum sit bono carere, alterum possit etiam esse malo, una autem communis sit nota sentiendi: non inepte sane ita pergit, ut paucis declaret, utram earum notionem carendi verbo subjiciant ii, qui carere mortuos dicant, quippe qui non malis carentes eos, sed bonis faciant. Quorum deinde ita refellit opinionem, ut ne vivos quidem carere bono aliquo doceat, si id non sentiant; nedum igitur mortuos, in quibus quum nulla ne suspicio quidem sensus remanserit, nihil omnino esse, quod ad eos pertineat. Itaque plana omnia, nec quidquam erit parenthesi includendum; una est et continuata sententia.

Transeamus nunc ad ipsa verba, ne quid movisse videamur audacius. „Jam“ igitur quod scripsi, ex eo vel „in,“ vel „enim“ esse natum puto, quod utrumque in libris legitur, ideoque esse transpositum; „id“ autem in suum locum ex alieno videor transtulisse; denique „illa“ ut ponerem, adductus sum unius cod. Aug. vestigio, in quo est „ille.“ Videntur autem librarii propterea „illud“ omnes scripsisse, quod ita verba construerent: dicitur illud, quod malum est, bono carere.

Sed quam voculam hoc loco transponendam falso putaveram, eandem nescio an recte censeam transponendam esse alio quodam loco, qui est:

III. 24, 58. „Et mihi quidem videtur idem fere accidere iis, qui ante meditantur, quod iis, quibus medetur dies: [nisi quod ratio quaedam sanat illos, hos ipsa natura, intellecto eo, *quod rem illud continet*, malum, quod opinatum sit esse maximum, nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere.“

Hic quum codd. alii rem, alii remedium praebeant, habuit utrumque, quibus probaretur. Ern. „quod remedium illud continet;“ Davis. „quod rem continet, illud malum;“ ceteri plerique recentiores „illud“ omnino ejecerunt. Klotzius codicum illam, quam dedi, scripturam retinendam putat, eamque ita interpretatur: Nachdem man eingesehen hat, weil dies eigentlich die Hauptsache enthält, daß ein Uebel u. s. w. Qui etiam miratur tarditatem interpretum, qui non viderint, idcirco „illud“ esse positum, ne „quod“ falso ad „eo“ referretur. Equidem miror singularem illam ac paene nimiam interpretandi subtilitatem viri doctissimi, qui quae sexcenties ita juncta pronomina legantur, ut ad se invicem referantur, ea, ne codicis Reg. labefactetur auctoritas, nolit hoc loco eodem modo, quo semper alias construi, et ineptam efficere sententiam malit, quam de illius libri auctoritate quidquam detrahere. Ne illud quidem recte dici videtur: „Nachdem man eingesehen hat;“ vertendum erat potius: „durch die Einsicht.“ Ceterum reputanti mihi, quemadmodum natam esse utramque codd. scripturam putarem, haec maxime probabilis visa opinio

est. Erat a Cicerone scriptum: *„intellecto eo, quod rem continet, malum illud“* etc. deinde transposita per errorem aliquem vocula „illud“ post „rem,“ quum ea inter se non congruerent, factum est „remedium illud,“ quod per se quidem aptissimum esse, vix erit, qui neget; postremo „illud“ omnino omissum.

Ceterum in illis quod „opinatum sit esse maximum“ vereor, ne nihil mutandum sit, sed migratio quaedam legis agnoscenda. Quodsi quis emendare velit, ei „opinatus sis“ scribendum censeo.

Jam vero, ut hoc loco „illud,“ ita alio loco „tamen“ non videtur suo loco collocatum esse.

I. 35, 85. „Quod si ante occidisset, (Priamus) tamen eventum omnino amisisset, hoc autem tempore sensum amisit malorum.“

Quo in loco mire dissentiunt interpretes. Klotzius ut fere semper, vulgatam defendit, aptissimam esse particulam „tamen“ ad eum locum existimat, quae etsi pertineat ad totam sententiam, suum tamen locum ante eventum habeat quod verbum vel maxime hoc loco fuerit efferendum. Vertit ita: wenn er aber eher geschieden wäre, würde er jedoch (aber auch) dem Eintritte überhaupt entgangen sey; so aber entging er dem Gefühle des Unglücks. „Quo quid potest esse jejunius, quid Cicerone quidem indignius? Alii pro „tamen“ scripserunt „tum,“ quod est in libris nonnullis et scriptis et impressis, otiosum esse judicat Moserus, non improbarem ego, nisi paullo ante de alio tempore usurpatum esset. Plerique „talem“ praetulerunt ex conjectura. Praeterea possesne latine dici: eventum amittere, dubitatum est a multis. Wolfius ita explicavit, ut amittere diceret esse: sich etwas entgehen lassen, aus den Händen lassen, nicht grade verlieren. Er würde diese traurigen Ereignisse nicht erlebt haben. In quo quemadmodum cum primis extrema congruant, non intelligo. Schützius ita scribendum putavit „tum eventum omnino, hoc autem tempore sensum amisit malorum“ quod negat Moserus recte dici posse, propterea quod suppleres amisit, non amisisset. Ipse Moserus cum Hottingero sentit, qui ita scribi voluit „talem eventum omnino non habuisset“ quod ego in hanc, quae nunc habetur, formam mutari potuisse negaverim.

Quae quum ita sint, alia videtur ratio ingredienda esse, quae nescio an facillima sit: Quid enim, si ita scribamus: *„quod si ante occidisset, eventum omnino amisisset, hoc autem tempore sensum tamen amisit malorum“?*

Jam suo loco particula illa posita erit, quae tanto opere vexavit interpretes, quodque Klotzius exemplum affert ex orat in Catil. III., 5, 10. „Tum Cethegus, qui ante aliquid tamen de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant deprehensae, respondisset etc.; id quum ad eam, quam ipse vult, verborum structuram defendendam nihil omnino valeat, ad hanc quidem nostram egregie convenire apparebit. In amittendi verbo autem non esse puto, cur haereamus. Amittit is, cui adimitur id, quod aut habuit, aut erat habiturus; id autem fieri morte quis neget? Itaque quem quis habere eventum potest, eundem morte potest amittere: Ipse autem Cicero de Divin. II., 22. „Si,“ inquit „ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus.“ Ceterum quod etiam in iis, quae proxime antecedunt, vulgatam Klotzius retinet, suoque more defendit, quum nihil

possit Petri Crassi emendatioue verius esse, id nunc quidem omittendum puto, et de duobus aliis locis pauca dicenda.

Primum enim afferam locum, in qua non transponenda particula „tamen" sed emendanda mihi videtur. Est is autem:

III. 34, 81. 82. „Tractatum est autem a nobis id genus aegritudinis, quod unum est maximum omnium, ut, eo sublato, reliquorum remedia ne magno opere quaerenda arbitraremur. Sunt enim certa, quae de paupertate, certa, quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant: separatim certae scholae sunt de exilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis. Haec Graeci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt: opus enim quaerunt: quanquam plenae disputationes sunt delectatienis. Et tamen, ut medici toto corpore curando minimae etiam parti, si condoluit, medentur: sic philosophia, quum universam aegritudinem sustulit, *tamen* si quis error aliunde exstitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offudit exilium, aut eorum, quae modo dixi, si quid exstitit, *et si* singularum rerum sunt propriae consolationes: de quibus audies tu quidem, quum voles. Sed ad eundem fontem revertendum est etc.

Exscripsi ea quoque, quae proxime antecedunt locnm, de quo maxime agitur, quo melius possent omnes, qui legerent, de sententiae natura et de ea, quam propositurus sum, verborum immutatione judicare. Est enim hic nequaquam satis adhuc explanatus locus. Libri quidem non fere dissentiunt. Pro eo, quod in plurimis legitur „sustulit," est in quibusdam „sustulerit;" „etsi" in optimis libris conjuncte scribitur, alii dirimunt, in nonnullis est „et sic." Interpretes autem praeter Klotzium omnes varia tentarunt, quibus emendarent locum, quem se viderent commode explicare non posse. Quorum rationes recensuit Klotzius, qui in quaest. Tullian. hunc locum fusius ipse tractavit. Plerique verba illa „et si" aut plane ejecerunt aut uncis incluserunt, nonnulli mutarunt, fuerunt etiam, qui anacoluthon esse putarent. Ipse Klotzius nihil mutandum censet. „Qui, inquit, in verbis illis: „Et tamen, ut medici" etc. omnem sententiam, quam est dicturus Cicero, tenet et ea, quae supra dicta sunt, attendit, statim intelligit hanc plenam esse sententiam: Et tamen ut medici toto corpore curando minimae etiam parti, si condoluit, medentur: sic philosophia, quum universam aegritudinem sustulit, medicinam tamen affert, si quis etc. Quod quum adeo facile ad intelligendum esset," (quam igitur hebetes ac tardi ii, qui tamen non intellexerunt!) „jure omisit Cicero: praesertim quum interpositis permultis verbis constructionem, quam continuare voluisse in sequentibus possit videri, sine sententiae detrimento ad finem perducere vix posset." Pergit deinde ad illa extrema, „et si singularum rerum sunt propriae consolationes," eaque ita explicat: et si singulae res propriis rationibus sunt curandae consolandaeque, vel „et quaecunque res singulae singulis consolationibus egent," tantumque dicit abesse, ut corrigenda ista verba putet, ut sibi sine sententiae noxa abesse vix posse videantur.

Et haec quidem Mosero ita probantur, ut ea quasi excursum ad editionem suam adjunxerit.

Mihi quidem cur probari non possint, paucis nunc exponam. Primum igitur hoc mihi concedi ab omnibus arbitror, quum „tamen“ sit particula adversativa, qui id suscipiat, ut eam aliquo loco recte positam esse defendat, ei demonstrandum esse, cuinam sententiae adversetur ea, quae eam particulam habeat; quod facile est in illo primo „tamen,“ a quo haec tota, de qua nunc agitur, incipit sententia; in hoc altero autem apte fieri posse negaverim. Opponuntur enim haec, quae nostra sententia continentur, iis, quae proxime antecedunt; ac nimirum recte ita dicitur: Sunt certa, quae de singulis malis dici soleant, eaque Graeci in singulos libros dispertiunt; et tamen ea omnia philosophia, universa tollenda aegritudine, complectitur. Quare, quid habuerit summus vir F. A. Wolfius, cur illud „tamen“ quasi anticipando poni diceret, ideoque suo loco postea repeti, non intelligo. Jam vere alterum hoc „tamen“ quid tandem habet, cui adversetur? Nam illud quidem credere non possum, nihil nisi primum illud esse a Cicerone repetitum; quippe quae tam inepta repetitio, tam alieno loco facta esset, ut ne ea quidem, quam solent in his libris reprehendere, negligentia videretur excusari posse. An quis erit, qui haec sibi opponi contendat, si quis philosophiam dicat, quum universam aegritudinem sustulerit, etiam singulis malis medicinam, non afferre, ut Klotzius vult, sed attulisse? Est enim hic frequens usus et notissimus particulae „quum,“ adjuncto indicativo, ut nihil aliud denotet, nisi „eo, quod,“ nostrum „indem,“ quod, qui latine nesciunt, quum volunt exprimere, „dum“ scribunt. Imo „etiam“ scribendum erat, non „tamen.“ Deinde, exspectari quidem tale quid, quale nos intelligere jubet Klotzius, vident omnes; illud recte dubitatur, num id omitti queat ab eo, qui vel mediocriter scribere didicerit; equidem certe animum inducere non possum, ut a Cicerone omissum putem, praesertim quum, quid scripserit, tam facili conjectura assequi possimus. Scripsit enim, nisi omnia me fallunt, ita: *„sic philosophia, quum universam aegritudinem sustulit, sustulit etiam* etc. in quo quum geminatum verbum esset, alterum librarii, ut saepe, omiserunt. Denique in illis, quae sequuntur „et si singularum rerum sunt propriae consolationes“ non video, quid sit, cur non eam recipiamus scripturam, quae est optimorum librorum „etsi“ i. e. quanquam, quod est concedentis, esse, non, ut Klotzius vult, desiderari, quae ad singulos dolores consolandos afferri, non modo soleant, ut ante dixerat, sed recte et commode possint. Haec mihi certe non modo non deterior quam illa altera, eorum verborum explicatio, sed multo etiam melior esse videatur. Judicent alii.

III. 2, 3. „Accedunt etiam poëtae: qui quum magnam speciem doctrinae prae se *tulerunt,* audiuntur, leguntur, ediscuntur et inhaerescunt penitus in mentibus. Quum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo; tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus: *ut nobis optime naturam invidisse videantur,* qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt etc.“

Hic primum fuerunt, qui legendum putarent „tulerint“ quod haud scio an cuique primum haec legenti in mentem venire debeat; quod autem elegantius esse putarunt, lapsi sunt. Quid enim impedit, quo minus Ciceronem putemus etiam de iis poëtis aliquid cogitasse, qui nullam

prae se tulissent speciem doctrinae, ut non omnes semper audiri etc. diceret, sed tum demum, quum doctrinae quadam specie viderentur excellere? Itaque in optimorum codd. auctoritate acquiescendum. Alia ratio est eorum, quae sequuntur paullo post: „ut nobis optime naturam invidisse videantur,“ in quibus interpretes praeter Klotzium offenderunt omnes. Lambinus „optimam naturam“ voluit, Bentlejus „optimam magistram;“ „optimae naturae“ Gronov; „optima natura“ Arntzen ad Plin. Pan — Lambini et Bentleji auctoritatem secuti plerique recentiorum. Orellius „optime“ in margine adscriptum a lectore aliquo admirante illius sententiae elegantiam, postea illatum esse in contextum putat. Bentleji conjecturam, etsi ingeniosissimam, eam ob causam dubitat recipere, quod paullo ante magister populus dictus sit. Klotzius vulgatam ita fere interpretatur: „Invidere alicui aliquid, est facere idem, quod qui invideat. Jam vero qui invidet alicui aliquid, is id ipsum illi, quod invidet, conatur subducere. Optime autem, qui callidissime. Ergo optime naturam nobis invident ii, qui callidissime id agunt, ut a natura nos abducant. Neque vero hoc loco Cicero illos, qui nihil homini melius populari gloria judicent, de industria ait id agere, ut nos corrumpant, sed quam viam ingrediantur, eam esse ad corrumpendos homines aptissimam, ideoque videri illos contraria sequi eorum, quae re vera velint efficere.“ Quae si recte intelligo, idem sibi velle putat illa Ciceronis verba, ac si ita dixisset: „ut nihil videantur aptius facere posse, qui naturam nobis invideant, quam quod ii fecerunt, qui etc. Nec vero unquam mihi persuadebit vir doctissimus hanc sententiam e verbis illis recte elici posse; quamobrem ne illud quidem unquam adducar, ut credam, esse ea verba ita, ut nunc sunt, a Cicerone scripta. Nam „optime invidere aliquid alicui“ nemo poterit, qui vel medeocriter scribere didicerit, ita dicere, ut idem sentiat, quod Klotzius. Invidet enim proprie is, qui dolet alterum habere bonum aliquod, quod ipse non habeat, deinde etiam, dilatata paullulum verbi notione, qui non vult alterum frui aliquo bono, quo etsi nondum fruatur ille, posse tamen frui aliquando videatur; (quod nostri: nicht gönnen.) Qui si forte conabitur id alteri, quod invidet, eripere, vel, quominus ille id, quod eum habere nolit, consequatur, prohibere; causa quidem erit eripiendi vel prohibendi invidentia; neque vero, quum invidere quis dicitur, eo continuo dicitur facere id, quod, si invideat, facere possit. Quare quum nihil insit in invidendo, nisi aut dolere, aut nolle, optime invidere si quis dicatur, id eodem modo dici necesse est, ac si optime nolle; ergo Ciceronis illa, si legitimam adhibere explicationem velis, non eam, quae tibi ad id, quod cupias, commodissima esse videatur, hanc sententiam habeant: „ut optime fecisse videantur, qui nobis naturam inviderent, qui — judicarunt“ quod omnino ferri non posse, non est, quod doceam. Jam si Bentlejum sequamur, vel si, ut Moserus vult, cum Lambino Bentlejum jungentes, ita scribamus; „ut nobis optimam magistram naturam invidisse videantur,“ haec erit sententia: videntur ii, qui nihil populari gloria praestantius judicaverunt, non id propterea fecisse, quod ita ipsi sentirent, sed quod nollent nos ea uti, quam ipsi reliquissent, optima magistra natura. Nam qui ea sibi, quae in populi potestate sunt, maxime expetenda ducunt, totos se ad voluntatem populi exemplumque conformant, virtutem, honestatem, naturam denique ipsam relinquunt. Quae quamvis acuta et praeclara esse sententia videatur, habet tamen, in quo offendam. Quid enim? si quaeras, quinam

fuerint ii, qui ita de honoribus et de fama populari judicarent, fuisse videas eos, qui se non simularent ita sentire, sed vere ita sentirent, qui non tam invidere ceteris naturam magistram, quam ipsi ignorare viderentur, qui non modo verbis collaudarent ac praedicarent imperia, honores et quae reliqua sunt ejus generis, sed re et factis ipsi ea maxime sequerentur atque expeterent; quorum non praeceptis instituti, sed sermonibus et multo magis exemplis inducti adolescentes, optima petentes, ad pessima deferrentur. Itaque haec quamvis speciosa, tamen sibi ipsi repugnare videtur sententia; nec vero memini me legere, quum judicare non de vera animi sententia, sed de ficta quadam specie simulationis diceretur. Quare, quum sine dubio corrupta librorum scriptura sit, neque ea recte a summis viris emendata esse videatur, non erit, ut opinor, is reprehendendus, qui aliam sibi quandam emendandi viam ingrediendam putet, etiam si idem ei accidat, quod ceteris omnibus, ut ad id, quod velit, non perveniat. Atque ego, quum in emendando minima quaeque a librorum fide discessio maxime commendetur, unius literae immutatione mihi visus sum id, quod cuperem, posse efficere. Sic enim arbitror a Cicerone scriptum fuisse:

„ut nobis optime naturam ii vidisse videantur — qui judicarunt.“

Ita, inquit, inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus, non ut nolimus quidem sequi naturam, sed ut, quid ea postulet, quid sequatur, ignoremus, atque id ipsum maxime naturale esse opinemur, quod sit contra naturam maxime. Atque haec mihi sententia et per se plana ac perspicua esse videtur, et cum antecedentibus optime congruere, et iis denique, quae sequuntur, egregie confirmari. Quorum ea, quae proxima sunt, liceat hoc loco adjungere, propterea quod in his quoque turbavit Klotzius. Sic igitur Cicero pergit: „ad quam fertur optimus quisque; veramque illam honestatem expetens, *„quam una natura maxime inquirit,* in summa inanitate versatur, consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae.“

Sic cum Klotzio Moserus; et praebent haec codd. plerique. „Anquirit“ Moserus etsi fatetur non incommode scribi posse, tamen cedendum esse codd. auctoritati putavit. Bentlejus cum Manucio et Lambino „unam;“ idque reliqui receperunt omnes; quamquam male Bentlejus „unam“ esse idem, quod „solam“ voluit. Klotzius eam, quam tuetur, unam esse verissimam scriptionem contendit, eamque ita interpretatur: „und geräth, das wahre Schöne begehrend, was die Natur allein am besten aufsucht, auf Irrthümer u. s. w.“ At primum honestas hoc loco non est „das Schöne“ sed laus ea, quae est ita cum virtute conjuncta, ut ab ea sejungi non possit „die wahre Ehre;“ deinde „expetere“ non est „begehren“ „sed“ erstreben; postremo, quemadmodum „optime invidere“ non est „callide subducere,“ sic „maxime inquirere“ non est „optime investigare;“ itaque nihil attulit ille nisi falsum. Neque vero nominativum „una,“ quum sit in plerisque codd., non retinendum puto, non quo haec mihi melior esse sententia videatur, sed quia utramque scripturam video commode explicari posse, etiamsi male sit altera a Klotzio explicata. Illud dubito, num recte dicatur natura honestatem *in*quirere; neque enim, quod ego sciam, solet hoc verbum eo modo Cicero usurpare, ut nihil sit, nisi quaerere, aucta quodam modo et amplificata vi hujus verbi, ut Kuehnero videtur; sed ita plerumque dicit: „inquirere in rem,“ quod

aut judiciorum est, aut philosophorum, aut omnino perscrutantium aliquid, ut neque in naturam videatur, neque in honestatem cadere posse. Quapropter quum constet „anquirere“ et „inquirere“ in codd. saepissime inter se commutari, sitque anquirendi notio aptissima huic loco; non modo commode scribi arbitror, sed etiam oportere scribi: *„quam una natura maxime anquirit“* „nach welcher grade die Natur am meisten strebt.“ Certe enim honestatem ipsam per se, vel nulla adjuncta dignitate externa, ab ipsa natura expeti, non Stoici solum, verum etiam Academici et Peripatetici docuerunt, eamque sequi vel maxime debere philosophiam; ex quo etiam illud: convenienter naturae vivere. Quare quoniam ita quisque optimus est, ut maxime vivit in eo ac viget vis illa naturae, veram is honestatem recte dicitur expetere, sed quum nondum ejus animus excultus doctrina sit, pravissimis illis populi opinionibus occaecatus, pessimisque circumventus exemplis, ad illam alteram deferri vanam atque inanem imitatricem gloriae, famam popularem, ut non tam voluntate, quam cursus errore fallatur.

Sic mihi et sanasse hunc locum et defendisse videor. Ac plura eram allaturus, si id per angustias temporis mihi ad scribendum concessi liceret. Unum adjungam locum, deque eo, quam potero, dicam brevissime.

Nat. Deor. II. 28, 71. „Sed tamen, his fabulis spretis ac repudiatis, deus pertinens per naturam cujusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia, poterunt intelligi, qui qualesque sint, quoque eos nomine consuetudo nuncupaverit, *hos deos* et venerari et colere debemus.“

Hic Heindorfius „qualesque“ positum pro „qualescunque“ et „quoque“ pro „quocunque“ existimat, quod si ita esset, non videtur „sint“ potuisse scribi, sed aut „sunt,“ aut „erunt,“ atque etiam deesse sive „et,“ sive „aut“ ante illud „quoque.“ Moserus in parva quidem editione nihil, altera nunc non in promtu est. Ac mihi quidem ita demum apta quaedam videtur et probabilis sententia proditura esse, si pro *„hos deos“* scripseris *„hoc eos,“* quod etsi scio non esse in codd., qui etiam „quos“ habent, tamen puto recipiendum esse. Videntur enim librarii, atque etiam interpretes non vidisse prima illa „qui qualesque sint“ pertinere ad „intelligi,“ cui verbo saepissime a Cicerone adjunguntur, altera illa „quoque — nuncupaverit“ ad ea, quae sequuntur, referenda esse. Nomina Stoici retineri volebant deorum, quos physicis rationibus constitutos, ad fabularum errores turpissimasque superstitiones poëtae traduxissent, neve igitur suo nomine nuncupari vim eam, quae per omnem naturam terrae pertineret, sed Cereris, et quae sunt reliqua ejus generis; ne videlicet offenderentur eorum animi, qui illis ipsi superstitionibus capti, non possent, verum quid esset, perspicere.